
TRACTATIO IVRIDICA,
DE
ADVOCATIS,
Von
Advocaten und ihren Rechten;

QVAM
ASSISTENTE SVPREMI ADVOCATI AVXILIO,
PRAESIDE
DN. ERNESTO FRIDERICO SCHRÖTERO,
IN ACADEM. IENENSI ICTO AC ANTECESSORE FAMIGERATISSIMO, CONSILIARIO SAXONICO, CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE GRAVISSIMO, HAEREDITARIO IN WICKERSTAEDT, ETC.

PVBLICAE DISQVISITIONI OFFERT


FRIDERICVS SEIFART,
HAL. SAXO.



IENAE MDCLI.

RECVSA HALAE TYPIS HENDELIANIS. 1723.

17



I. N. J.

PRÆFATIO.



Quanquam olim nemo alterius nomine, nisi pro populo, pro libertate, vel pro tutela agere potuerit, uti *ex pr. l. per quos ager. poss.* patet: Hodie vero necessitate & usu ita exigente id sublatum est, ita ut omnes qui rebus suis ipsi præesse vel nolint vel non possint, impediti aut morbo, ætate, necessaria peregrinatione, aliisque multis causis *d. princip.* per alios agere possint. Inter illos autem per quos agere possumus non ultimum obtinent locum Advocati; De quibus nonnulla in medium afferre animus est, idque quantum pro ingenii mei tenuitate fieri poterit; Ordine verum progrediemur, qui omnino observandus; Sit igitur.

THESIS I.

ADvocatus ab advocando dicitur, quia partibus advocando præest; Et sumitur vel Generaliter vel Specialiter, Generaliter dicitur omnis is, qui causis agendis quoquo studio præest, ac in omni negotio partibus adest *l. 1. §. 11. ff. de var. & extraord. cogn.* Quo nomine & Procurator venit. Specialiter vero quando accipitur a Procuratore distingvitur, & quidem 1. *ratione Constitutionis*; Advocatus tantum ad judicium, Procurator quoque ad alia negotia constituitur; Ille non habet mandatum, Hic vero habet. 2. *ratione officii*, Advocationis officium quippe honorabile & laudabile dicitur; Procuratoris vero vile; non quidem quod vilem reddat hoc officium qui exercet, sed quia viles ab eo non arcentur, ita etiam ut infamis de jure Civili Procurator esse possit. Gail. *lib. 1. obser. 43. n. 5.* Secus de jure Canonico nam ibi infamis Procurator esse nequit c. 2. & 3. *quæst. 7.* Quod Jus Canonicum etiam observatur in camera Imperiali, ibi enim nullus in numerum Procuratorum recipitur nisi Doctor vel Licentiatus Gail. *d. observ. 43. nu. 7.* 3. Differunt etiam invicem *respectu pœnarum*; Nam Procurator ex mala administratione mandati tenetur; *l. 8. ff. mandati & l. 10. C. de Procurat.* Advocatus vero de prævaricatione *l. 1. C. de Advocat.* Quod prævaricationis crimen quale sit & quæ ejus pœna habetur in *tit. ff. de Prævaricat.* Quo etiam referenda Constitutio Criminalis Caroli V. c. 115. *cujus verba hic apponere libet:*

So ein Procurator fürsetzlicher gefährlicher weise, seiner Parthey in Bürgerlichen und peinlichen Sachen zu Nachtheil, und dem Widertheil zu gute handelte, und solcher Ubelthat überwunden würde, der soll zuförderst seinen Theil nach allen Vermögen seinen Schaden, so er solcher Sache halber empfehet, wieder erlegen, und darzu an Pranger oder Halßeisen gestellet, mit Ruthen ausgehauen, des Landes verbotten oder sonst nach Gelegenheit der Mißhandlung in andere wege gestrafft werden.

4. Denique in eo differunt quod Advocatus sive sit ordinarius sive extraordinarius, modo judici, ratione jurisdictionis sit subjectus invitus de jure compelli possit ad suscipiendum patrocinium, idque sub pæna Privationis officii quæ pæna non levis *l. 8. ff. de Pan.* Nisi justas & legitimas excusationis habeat causas Gail. *d. obs. 43. nu. 9. & 12.* Procurator verò non potest *l. 17. C. de Procurat.* Ratio diversitatis hæc est quia officium Advocationis ex se & sua natura publicum est, ad quod quis invitus cogi potest: *Wesenb. in Comment ff. de postul. num. 3.* Procurator verò quoniam cum ipso contrahitur; contractus autem initio sunt voluntatis, non potest invitus cogi, *Gail. d. observ. nu. 5.* Et

THESIS II.

Quemadmodum in multis Juris materiis eadem res diversis sæpe nominibus designatur; Ita & in hac materia nostra Advocati variis nominibus appellantur; Primo enim vocantur *Causarum* Patroni, quarum patrocinium susceperunt *l. 4. C. de postul. l. 1. in pr. l. 5. l. 14. C. de Advocat.* 1. Quemadmodum enim Patroni libertos a miseria servili, Ita Advocati obnoxios potestati judicum a periculo litis liberant. *Vall. 4. Eleg.*

2. Secundo dicuntur Caufidici *l. 6. C. de postul.* quia caufam dicunt, orant & perorant *l. 9. 11. §. 1. in fin. l. 13. C. de Advocat.* 1. Exind e quoque Oratores & Rhetores dicuntur *l. 33. §. 1. C. de Episc. & cler. l. 3. §. 9. C. de V. I. E.* Denique Togati appellantur *l. 3. 55. 6. 8. 9. 11. §. 2. l. 15. in pr. C. de Advocat.* 1. Imo & Togæ appellatione ipsi Advocati veniunt *l. 7. C. d. t.* quia honeftus veftitus illis convenit *arg. l. 15. §. 15. de injuriis.*

THESIS III.

Definitur Advocatus, quod fit Orator literis eruditus, qui clientibus & defiderantibus patrocinia præftat, caufas eorum agendo, five orando, idque apud judices. Genus in hac definitione eft Orator, dicitur enim Orator ut in *Thesi præcedenti* dictum: Et quidem literis eruditus *l. 2. C. de postul.* Imo & Jurisperitus *l. 11. §. 1. C. de Advoc. 1.* de quibus requifitis in *Thes. 6.* Materia oftenditur in his verbis qui clientibus & defiderantibus patrocinia præftat *l. 1. C. de Advoc. 2. l. 2. 6. §. 1. l. 7. C. de postul.* Caufas eorum agendo five orando; *ibi Finis l. 4. 6. §. 1. & ult. C. d. t. l. 6. 11. §. 1. C. de Advocat.* 1.

THESIS IV.

Dividuntur vero Advocati quod alii agant caufas *Privatorum*; Alii vero *Publicas*. Illi *Vulgares* appellantur, Hi *Advocati Fisci.*

Vulgares iterum funt vel *statuti* vel *supernumerarii. Statuti* vocantur illi, quorum nomina funt fcripta in matricula

cula five albo Advocatorum. *l. 13. C. de Advocat. 1. l. 1. C. de Advoc. 2.* five qui recepti in Collegium feu Confortium Advocatorum *l. 8. 11. §. 1. l. 12. C. de Advocat. 1. l. 3. in pr. l. 5. l. 7. C. de Advoc. 2. & l. ult. C. de postul.* Et erat illorum certus numerus, quem fuperare non licebat, ut & certus ordo, qui permutationibus turbari non debuit, ut *passim ex LL. C. de Advocat. 1. & 2.* videndum eft. Item certo foro inferviebant *l. 4. l. 11. §. ult. l. 13. C. de Advoc. 1.* Sic in foro Præfecti prætorio Collegium Advocatorum conftabat Advocatis centum & quinquaginta *d. l. 8. l. 11. pr. & §. ult. l. 2. l. 17. in pr. C. de Advoc. 1.* In foro Præfecturæ urbicariæ erant Advocatorum octoginta *l. 7. C. de Advocat. 2.* In foro Alexandriæ in Ægypto Advocati erant quinquaginta *l. 13. C. de Advocat. 1.* In foro Comitis Orientis quadraginta, *l. 3. in pr. C. de Advoc. 2.* In foro Præfidis provinciæ Syricæ *secunda* triginta. *l. 5. pr. C. d. tit.* Sic ex *Ord. Cam. p. 1. tit. 18.* viginti quatuor eligebantur Procuratores ; Quamvis ex Receffu Imperiali adhuc fex fupra hos eligere permiffum fit, Reichs-Abschied *de Anno 70. §. 20.* Wie auch leichtsam.

THESIS V.

Advocati fifci funt qui caufam fifci agunt, *l. 1. C. de Advocat. fisci.* five qui fifci nomine agunt *l. 3. C. d. t.* Vocantur & Patroni fifci *l. 8. 10. 12. C. de Advocat. 1.* Patroni ærarii *l. 8. C. de Advoc. 2.* Et quemadmodum

dum in præcedenti *Thesi* diximus, quod ſtatuti Advocati ſingula fora habeant, ſic quoque ſingula fora habent ſingulos fiſci Advocatos, *ut patet ex LL. C. de Advoc. 1. & 2.* Officium & Munus in eo conſiſtit ut cauſam agant fiſci, neque occultent commoda fiſcalia *l. 3. de Adv. fiſ.* Ne fiſci nomine privatos calumniis vexent *d. l. 3. & l. 1. C. de lucris Adv. lib. 12.* Ne patrocinia præſtent contra ipſum fiſcum *l. 1. C. de Adv. fiſ.* Niſi in ſua, Liberorum, Parentum & Pupillorum cauſa *l. penult. pr. ff. de poſtul.* De Horum Privilegiis, Salario *infra*, ubi in genere de Privilegiis & Salario Advocatorum tractabimus.

THESIS VI.

Requiritur in Advocato, 1. Juris ſcientia *l. 11. §. 1. C. de Advoc. 1.* ut patrocinia deſiderantibus & requirentibus præſtare poſſint *l. 2. C. de poſtul. Weſenb. in pr. C. de Adv. diverſ. judic. num. 7.* Publicum exinde debet habere teſtimonium doctrinæ ſuæ, vid. Magnif. Dn. D. Richter ad *authent. habit. C. ne filius pro patr. Diſput. 2. Th. 35.* Ac proinde non admittendi iſti Rabulæ, qui ne prima quidem Elementa didicerunt, quos Gail. vocat Gerichts-Blauderer *in Tract. de arreſt. c. 9. num. 17.* Et vivis coloribus depingit *Pet. Greg. Tholoſ. quando dicit:* Iſtæ cicadæ judici officiunt, nihil enim præter verba habent, veritatem obſcurant, tempus judicandis litibus decretum battologia præripiunt, falſa pro veris inculcant, litigantes decipiunt ac conficiunt, fucisque ac inanibus verbis protrahunt judicium, Adde Excell. Dn, PRAESIDEM, Patronum, Præcepto-

ceptorem atque Hospitem meum æternum devenerandum, *in notis ad Sutholt. disp. 1. aph. 39.* 2. Requiritur Facundia sive Eloquentia *l. 7. pr. C. de Advoc. 2.* Inde talia ipsis attribuuntur Epitheta, dicuntur enim disertissimi *l. 13. C. de Advocat. 1. l. 5. C. de Advocat. 2. & l. ult. d. t.* Clarissima Eloquentiæ lumina *l. 6. d. t.* facundiæ studiis eruditi *l. 7. d. t.* quod causas orent servato ordine, neque diutius perorent, quam par sit, quod innuit *l. 6. §. 4. C. de postul.* ut aliorum quoque desideria possint audiri, id quod judici curæ esse debet, *l. 9. §. 4. ff. de offic. Proconsul. l. 1. §. 4. ff. de postuland.* 3. Stylum curiæ, qui in causis pro lege habendus *l. fin. in fin. C. de injur. Wesenbec. in ff. de LL. num. 9.* non debent mutare. 4. Agant quod causa desiderat, temperent se ab omni injuria. i. e. abstineant ab omnibus opprobriis & convitiis, tum erga alterius patris advocatum, tum quoque erga ipsum judicem, persona quippe judicis omni semper honore & reverentia est afficienda; Memores sint illius, quod Lex *6. §. 1. C. de postul.* ab ipsis requirit; Verba legis sunt elegantia, & ab omnibus Advocatis observanda, ita vero se habent: *Ante omnia autem universi Advocati ita præbeant patrocinia jurgantibus, ut non ultra, quam litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant, agant quod causa desiderat temperent se ab injuria; Nam si quis adeo procax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum opinionis suæ imminutionem patietur*; Hucusque verba

 legis;

legis; Quæritur jam hic; *An Advocatus possit uti in bona causa cavillationibus & fallaciis?* Putat quidem cum *Mynsing. cent. 3. observ. 6. Wesenbec. in n. C. de Advocat divers judic. numer. 2. in fin.* omnino hoc Advocatum facere posse. Sed hanc opinionem tanquam Reipubl. perniciosam non esse sequendam recte scribit *Treutl Vol. 1. disputat. 8. th. 3. lit. A.* Quocirca negativam sententiam arripimus quæ probatur *per l. ult. C. de postul. l. 1. 11. C. de Advocat. 1.* Et certe alias quivis Advocatus fallacias & cavillationes suas prætextu bonæ causæ excusare posset, neque finem tantum, sed etiam media bona & legitima esse oportet. *Bachov. in not. ad. Treutl. d. Vol. 1. Disputat. 8. thes. 3. lit. A. in fin.* Bono tamen dolo uti licebit Advocato, juxta Nobil. Dn. Struvium Patronum atque Præceptorem meum devenerandum. *in Exercit. 5. thes. 16.* 5. Litem ex industria non protrahant. *d. l. 6. §. 4. C. de postul.* Sed fideliter prudenter ac diligenter causam clientis agant, ultra levem culpam tamen non teneri videntur. *arg. l. 14. §. 1. C. de judic.* 6. Patrocinium desperatæ causæ non suscipiant. *l. 14. §. 1. C. de judic.* alias graviter peccant & damnum resarcire tenentur. vid. Matth. Cuno *de pactis lib. 1. c. 12. num. 15.* Nec excusantur, si non ad finiendum, sed aut ad differendum, aut ad concordandum, sive pacta aliqua ineunda hoc faciunt, quoniam hæc omnia constat esse inqua: Cajetan. *in summul. de peccat. pag. mihi. 23.* Unde quoque judices non debent pati aliquem Advocare pro insignibus furibus, latronibus publicis, ut tradit Magnif. Dn. Carpz. *in p. 3. Pract. crimin.*

min. quaest. 115. nu. 35. Quid vero statuendum, *si quis in possessorio bonam foveat causam, malam vero in petitorio, an Advocatus ei adesse in illa possit, dum in hac non agitur?* Putamus Advocatum ipsi omnino adesse posse, quia judex illo casu reum in possessione recte tuetur. Ergo nec male ita consulit Advocatus. Neque subest hic causa una, cujus caput alterum justum sit, alterum injustum: Sed causae duae diversae, altera de possessione, altera de proprietate *l. 35. de acquir. possess. l. 3 C. de interd.* Ex quibus illa justa esse potest, legibus positivis, Haec injusta. Ubi itaque illi adsistit Advocatus, non cooperatur suo clienti positive, docendo modum, quo possit Adversarium injuste vexare, sed saltem permissive: vid. Nobil. Dn. Hahn. *Obser. Theor. Pract. ad Wesenbec. Com. lib. 3. tit. 1. nu. 6. in fin.* 7. Ne paciscatur cum clientulis de quota litis *l. 3. 5. C. de postul. l.* 1. §. *12. ff. de extraord. cognit. l. 9.* §. *2. de officio Proconf. Schneidew.* §. *fin. J. de mandato. numero* 7. Advocatus enim de quota litis paciscens a professione removendus *arg. l. 5. C. de postul.* Ideo autem haec pactio prohibita atque interdicta, ne hac ratione Advocati ad mendacia turpissima perducantur, neque ad avaritiam, quae tamen ab ipsis longissime abesse debet *l. 6. §. 5. C. de postul. vid. d. Matth. Cuno de Pactis lib. 1. c. ult. nu. 15. & seqq.* Pacta tamen licita erunt admittenda, ut cum Advocatus clientis suo nomine sumptus ex suo in litem erogat & impendit, eosque una cum usuris licitis, sibi restitui stipulatur vel paciscitur *l. 23. ff. de pactis.*

Item de Salario modico pacisci potest *l. 1. §. 12. de var. & extraord. cognit. l. 3. 5. C. de postul.* 8. *Tandem* non sit Prævaricator, sed bona fide causam clientis agat; nam Advocatus Prævaricator extra ordinem punitur *l. 1. §. ult. l. 3. §. 2. ff. de Prævaricat. l. 1. C. de Advocat. 1.* Sic qui visis unius partis juribus ac fundamentis causam agendam suscepit, postea adversæ parti patrocinatur, crimen prævaricationis incurrit, etiamsi prior cliens ipse operam ejus recusaverit, vel etiam salarium præstare renuerit. Magnif. Dn. Carpz. *3. respons. Elect. 4.* Quando vero causam nondum suscepit, aliquando, si absit malitia, alteri operam addicere poterit. Schotan *disputat. 17. th. 8.* Tutius tamen erit, ut cum Magistratus præscitu id fiat. Nobiliss. Dn. Struv. *in Exercit. 5. thes. 18.*

THESIS VII.

In numero vero Advocatorum esse nequit 1. Minor. 17. *annis l. 1. §. 3. ff. de postul.* Add. Magnif. Dn. Ungepaur P. P. in hac Salana celebratissimus, Patronus atque Præceptor meus ætatem deveneandus, *in Exercit. Instin 2. q. 16. in Nigo.* 2. Surdus, qui prorsus non audit *d. l. §. 3.* ratio additur in lege, nec enim est permittendum ei postulare, qui decretum Prætoris exaudire non potest. Surdaster vero omnino Advocatus esse potest. *Tr. vol. 1. disp. 8. th. 1. lit. F.* 3 Cæcus, qui quidem utrisque luminibus orbatus *d. l. 1. §. 5.* ratio hæc adjicitur, quod insignia Magistratus videre & revereri non possit. 4. Muliebria passus, nisi vi sit

factum

factum *d. l. 6 §. 6.* 5. Capitali crimine damnatus *d. §. 6.* 6. Mulier non potest esse Advocatus *l. 1. §. 5. ff. de postul.* quia officium virile est *l. 12. ff. de judiciis. l. 2. de R. J.* & mulieres a Viris defendi debent, non contra *l. 2. ff. de injur.* Neque hoc admittit verecundia mulierum; unde reprehenditur *in d. l. 1. §. 5.* impudentia Carfaniæ, quæ inverecunde postulavit, & Magistratum inquietavit, ut verba legis habent. 7. Hæreticus *l. ult. C. de postul. l. 15. C. de Episc. Audient.* Quæritur hic 1. *An quis possit esse Advocatus Heretici?* Neg. Talis enim Advocatus seipsum suspectum reddit hæreseos, si patrocinium præstat hæretico. Ita quoque Nemo potest esse Advocatus Banniti, ubi tamen distinguendum, an de ipsa causa Proscriptionis agatur, an de aliis causis, si quæ forte controversiæ contra bannitum moveri possint: In illis causis aliquis Advocatus esse nequit, in his vero omnino licitum est bannitum defendere, cum præsertim ipse præsens in judico comparere non possit. *vid. Bachov. in not. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 8. th. 7. lit. G.* 2. *Q. An Vasallus possit esse Advocatus contra Dominum?* quod negandum propter reverentiam, quam Domino debet etiam juratam. *2. feud. 6. 7. 22. & 23. junct. 2. feud. 24. §. 2. & 33. §. 1. Add. Gail. lib. 2. observ. 88. nu. 5. d. 1.* Et Excell. Dn. PRAESES, Præceptor meus exoptatissimus *in not ad jus feudale tit. 6. feud. 2. in verbis ne sit ei damno.* 8. Infamis non potest esse Advocatus *l. 1. §. 5. ff. de postulando.* Est enim Advocati officium nobile *l. 7. C. de postul.* *Q. An Nobilis sine dedecore possit esse Advocatus?* Resp. Quod sic, per *l. 6. §. 5. C. de postul. l. 14. C. de Advoc. 1.* Ita tamen ut, si ad tur-

pe compendium stipemque deformem eo munere abutatur, iterum locus esse possit degradationi *arg. d. l. 6. §. 4.* vid. Nobil. Dn. D. Thomæ Patronus atque Præceptor meus æternum colendus, *in disputat. de Nobilitate th. 6. numer. 24. & seq.* 9. Nemo denique in ea causa Advocatus esse debet, in qua judex est *l. 6. in pr. C. d. t. arg. l. 17. ff. de jurisd.* Sic secundum Ordinar. Cam. Advocatus in ordinem Assessorum cooptatus operam suam partibus amplius præstare non potest. Et prædictæ personæ omnes neque Adversario consentiente admittuntur *l. 7. ff. de postul.* quia hic non favor litigantium privatus agitur, sed jus publicum; unde illi qui tales inhabiles admittunt personas, incidunt in penam arbitrariam *l. 6. §. 6. in fin. ff. d. t.*

THESIS VIII.

Finis Advocatorum partim publicus est, partim privatus; dicuntur enim *in l. 14. C. de Advocat. 1. Illi, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque, defensionis viribus in rebus publicis & privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, quique non minus provident humano generi, quam si prœliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Wesenbec. in w. C. d. t. num. 4. Et in l. 4. C. de Advocat. 2. dicitur: vitæ hominum valde necessarium esse Advocationis officium.* Ne imperitis vel impeditis via juris præcludatur, & ut possint peritissimi propriam causam per alios agere, cum in sua causa facile quis consternatur voce vel mente deficiat & minus quis affectibus temporare possit in sua quam in aliena causa. Hillig. ad *Donell. lib. 18. c. 3. lit. l.*

THES.

THES. IX.

Effectus Advocatorum est duplex: Internus & externus. Internus & quidem cujus Primus est; quod ea, quæ Advocati allegant præsentibus iis quorum causæ aguntur, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis Dominis litium proferrentur *l. 1. C. de Error. Adv.* Ideoque nisi in continenti i. e. *triduo proximo* litigator, quo præsente Advocatus ejus causam egit, contradicat Advocati dictis, & post sententiam appellet, ob Errorem Advocati, ne quidem ex rescriptis Principis causa retractanda est. *l. ult. d. t. 2.* Advocato allegantі consuetudinem fides habenda est, maxime si fiat super Consuetudine Curiæ vel loci in quo versatur. *arg. l. 9. §. 1. C. de Testib.* Excell. Dn. PRAESES. *in not. ad Wesenb. tit. de LL. numer. 9.*

THES. X.

Effectus externus consistit in actionibus quas Advocati pro Salario deservito habent contra clientes; Et est prima Actio locati *l. 38. ff. de locati l. 7. ff. mandati.* Secunda Condictio certi, cum scil. Promissio facta est sub stipulatione ad certum quid, puta centum. *l. in pr. de V. O.* Tertia Actio ex stipulatu, si in certum quid promissum *l. d. t.* Tandem si nihil penitus promissum inter Advocatum & clientem fuit, Judicis officium est implorandum, qui pro eruditione & facundia, ut & pro Consuetudine fori salarium æstimat *l. 1. §. 10. ff. de var. & extr. cogn.* Similiter pro quantitate causæ & negotiorum. Gail. *lib. 1. obs. 44. num. 3.* Schneid. *§. fin. I. de mandato. nu. 5. & 6.*

THES. XI.

Et de hisce Honorariis Advocatorum uberius hic agendum esse duco. Vocantur autem non tantum Salaria sed & Palmaria. Honorarium vero dicitur non Merx, quia scientia civilis non pretio æstimanda *l. 1. §. 5. ff. de var. & extraord. cogn.* Salarium vero a Sale vitæ hominum necessario, Palmarium denique dicitur ab eo, quod post victoriam ejus nomine præstatur *l. 1. §. 12. ff. d. t.* Permissum autem est Advocatis accipere honorarium, quo majorem curam impendant officio suo, debet tamen esse modicum, & in maxima quoque causa centum aureos non excedere *d. l. 1. §. 10. & 12. ff. de var. & extraord. cognit. & l. 3. C. de postul.* Imprimis vero Pauperibus gratis patrocinium præstare debent. vid. Gail. *lib. 1. observ. 43. num. 11.* Et Schneidew. *I. de Action §. tripli. nu. 9.* hoc non facientes vocat cum Jasone Excoriatores pauperum, canes Curiarum & devoratores Civium. *nu. 10. d. t.* Hodie vero Pauperes, si Advocato indigeant sumptus ex publico fiunt, si illi præstent juramentum paupertatis. Tunc enim Processus in Camera Imperiali non tantum ex Cancellaria gratis expediuntur, sed & nuncii executionem gratis facere tenentur. Quod si tamen victores existant ejusmodi sumptus refundere solent. *Ordinat. Camer. p. 1. tit. 19.* Sed quid *de sumptibus incarcerati statuendum?* Resp. Si incarceratus ipse Advocato honorarium persolvere nequit, hoc ab accusatore esse persolvendum, quoniam & ad hunc alimentandi Reum qui sibi ipsi sufficere nequit, onus redit *art. 204. Const. Crimin. Carol.* Wesenbec. *in comment.*

tit.

tit. de post. nu.3. & ibi Nob. de Hahn. *in obser. Theoret. Pract.* Resolvendæ insuper sunt brevibus quatuor *elegantes quæstiones* huc spectantes, quarum Prima. *Quo tempore Advocatis salarium debeatur? An nimirum initio litis an vero in fine?* Est videndum an pactum inter Advocatum & clientem intervenerit, cui omnino standum *l. 1. ff. de pactis.* Quod si nullum intervenerit pactum, tunc loci consuetudo, si adest, inspicienda erit, deficiente consuetudine ad leges recurrendum *l. 1. §. 10. ff. de var. & extraord. cogn.* Secunda. *An Advocatus pro se postulans possit petere Salarium?* Et Resp. Quod sic: Non debet enim ex hoc accidenti, quod nim. in propria causa aliquis sit Advocatus Adversarii calumnia sive conditio fieri melior. Et hæc opinio imprimis attendenda, si alias causas neglexerit, adeoq; respectu lucri cessantis damnum eum sensisse probetur. Tertia. *An Advocatus ante finem anni moriens salarium totius anni ad heredes transmittat?* Quod affirmatur; Heredes enim, sive sui sive extranei, universa totius anni salaria a defuncto sive ex testamento sive ab intestato accipiunt *l. 15. §. 1. C. de Adv. 1. l. 3. §. ult. l. 5. §. ult. C. de Adv. 2.* Et quamvis *dd. LL.* de Advocatis fisci loquantur, unde hoc in illis speciale videri potest, communi tamen DD. sententia honoraria annua quorumcunq; Advocatorum eodem jure censentur. Hillig. *in not. ad Donellum lib. 18. c. 3. lit. KKK.* Magnif. Dn. Carpz. *JCtus incomparabilis. p. 1. c. 1. defin. 34. & p. 2. defin. 12. num. 4. & seqq. Dissentit* Bachov. ad *Treutl. Vol. 1. Disp. 8. Lit. C.* Quarta denique quæstio est. *Quæ justitia an distributiva vel commutativa circa Salaria Advocatorum constituenda sit observanda?* Et Resp. commutativa; In Salarii enim constitutione quæ fit

Advocatis compensatio ac proportio fit rei ad rem i. e. Salarii ad operas. vid. Exc Dn. Præses &c. *in not. ad Wesenb. tit. 1. in verb. & Salaria constituit.*

THES. XII.

Privilegia porro Advocatorum sunt sequentia, 1. Advocati *ab omnibus fere muneribus personalibus sunt immunes l. 6. 7. C. de Adv.* 1. Et quod etiam nostris moribus nullum personale Munus subire cogantur Advocati scribit ex Perez. Nobil. Dn. Struvius Professor hujus Salanæ famigeratissimus. *Exercit. 5. thes. 12.* 2. Si in propriis caussis litigent *Sportulas non persolvent l. 7. §. fin. C. de Advoc.* 2. 3. *Filiusfamilias* quicquid acquirit *Advocatus, jus qs. castrensis peculii* consequitur *l. 4. 8. C. de Advoc.* 1. Ita ut post mortem non veniat in collationem. *d. l. 4. & 8.* 4. *Acta clientis retinere possunt* donec ipsis satisfiat de Salario propter expensas factas. vid. Gail. *lib. 2. observ. 12. num. 5.* Et ita pronunciaverunt quoque *Scabini Hallenses* in causa Hr. D. Adolph Markussens. Contra Hans Hermanns Kötschens Erben, de anno 1633. die 26. Julii. Verba ita se habent: Habt ihr euch vorm Jahre wegen Hans Herrmann Kötschens nunmehr S. in eine Bestallung eingelassen und drey Jahr aufgewartet; Als nun gedachter Hans Herrmann Kötsche verstorben, haben dessen Kinder Vormündere euch solche Bestallung loß gekündiget, welche Loßkündigung ihr willig angenommen, weil euch aber an Bestallungs-Geldern 90. Thaler rückständig verblieben, habt ihr die Schrifftliche Bestallung und die bey euch habende Acta vor völliger Abfindung des Restes von euch zu stellen Bedenck getragen, worüber das Kriegswesen eingefallen, und bey erfolgten incendio der Stadt Magdeburg, alle eure Sachen, und zugleich auch vorberührte Acta in Feuer aufgangen; Ob nun wohl die Kötschische Vormünder dahero, daß ihr euch des juris retentionis gebraucht, die restirende Bestallungs-Gelder abzustatten sich nicht schuldig erachten wollen;

Die-

Dieweil aber ehe und zuvor euch die schuldigen 90. Thaler bezahlt, ihr die Acta von euch zu stellen nicht verbunden, sondern befugt euch des juris retentionis zu gebrauchen, und dahero nicht ihr, sondern die Vormünder in Mora gewesen, und die Acta ohne eure Verursachen in Feuer verdorben. So haben auch die Kötschischen Vormunde solchen Verlust euch zuzuschreiben keine Ursach; sondern seynd euch die restirende 90. Thaler nebenst den Interesse a tempore moræ ohne Verweigerung abzutragen schuldig. V. R. W. Posset autem aliquis quærere. Q. *An Advocati ratione Salariorum in Concursu creditorum, prærogativam aliquam habeant?* Resp. Quod non. 1. Quia Jure civili nullus creditor regulariter alteri præfertur, nisi vel per legis vel sui ipsius provisionem, ipsi expresse præ aliis creditoribus cautum sit: *arg. tit. ff. in quibus causis pign. vel hypot. tacite contrah. & tot. tit. ff. qui pot. in pign.* At qui Advocatis neque per legem neque conventionem cautum est. E. nec Advocati lege tacente prælationis jure gaudent in concursu creditorum. Quod enim in lege non cavetur, in Practica non habetur, ut post Bald. *notat. Hartman. Pistor. lib. 2. qu. 3. num. 36. in fin.* 2. Quia nec Jure Saxonico ullum Advocatis indultum legitur Privilegium: Imo etiam expresse eos inter mercenarios non esse referendos, decisum est in Ordinat. Judic. Elect. Saxon. *tit. 41. §.* nechst diesen ibi: darum ist der Advocaten Besoldung und anders dergleichen anhero nicht zu rechnen. vid. Finckelth. *observ. 48. Berlich. p. 1. conclus. 64. num. 76.* Magnif. Dn. Carpz. *p. 1. constitut. 28. defin. 30. & lib. 4. Respons. Juris Elect. tit. 2. resp. 11.* 5. Post depositum Advocationis officium *consequuntur dignitatem clarissimatus. l. 1. C. de Adv.* 6. Denique *Filii eorum* tummodo idonei *cæteris præferuntur l. 13. C. de Advoc. 1. & l. 3. §. 5. de Adv. 2.* Et gratis

reci-

recipiuntur *d. l. 3. §. 5. & l. 5. §. 7. l. 7. d. t.* Et hæc Privilegia concessa sunt ex liberalitate Principis. *l. 5. & l. 13. in fin. C. de Adv. 1.* Ob Advocatorum studia quibus reverentia debetur *d. l. 5.* Ob bene merita de Republica & de genere humano, cui suis laboribus præsunt *l. 14. C. de Advoc. 1.* Occasione hujus *l. 14.* ubi Advocati militare dicuntur quæro: *An Advocati gaudeant Privilegio militaris testamenti?* Resp. Quod non; Ignorantia quippe juris non est tollerabilis in illis *l. 2. ff. de O. L. l. 1. C. de Juris & facti ignor.* Schneidew. *in Instit. de Testament. milit. numer. 12.* *Pœna quoque constituta est contra violatores Advocatorum quinquaginta nim. librarum auri. l. 6. ff. de Advoc. 1.*

THES. XIII.

Advocati tandem esse desinunt 1. *per renunciationem clientum*, vel ipsorum hæredum. 2. *Per remotionem ab officio*, quæ fit quando ipsis foro vel Advocatione interdicitur *l. 5. 7. C. de postul.* Quando enim officio non recte funguntur, ut decet, tunc pro delicti gravitate ita punitur; Idque fit vel in perpetuum, vel ad tempus *l. 1. l. 8. C. d. t.* *Morte* denique Advocatio extinguitur; Mors enim omnia solvit: *§. deinceps in auth. C. de Nupt.* Atque hæc pauca, quæ omnia maxima ex parte ex LL. sunt desumpta, sine enim lege loqui erubescere debemus, *Nov. 18. cap. 5.* de *Advocatis* dicta sufficiant.



SOLI DEO GLORIA.

